



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Perfectio eius in communi vita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

nevolentiam diminuebat. Ioannes duos & viginti menses in secessu nouorum contubernaliū exegit; nouem alios menses veteranis Collegij alumnis conuixit, mox æger è morbo decessit. Per omne id tempus tantos in viâ spirituali progressus habuit, vt, si facultas mihi adesset tam clarè explicateq; eos ostendendi, non dubitarem, quin, qui vel tantillo tempore eum cognouisset, affirmaret in communi nostrâ vitâ iuuenem fuisse insolitâ ac planè eximiâ perfectionis. Ioannes namque, si aut vnâ innocentîâ, aut aliâ aliquâ virtute solum modò excelluisset, non adeò esset admirandus; sed multos etiam haberet in Societate non modò pares, verùm etiam fortè superiores. At quòd & innocentîâ vitæ, & reliquis quoque virtutibus omnibus excellerit, perindeque obtinuerit vniuersas, ac si singulas perfectè tantùm possedisset; res insolens adeò est ac noua, vt omnibus eam rem intelligentibus meritò adferat admirationem: cum id sit completum quoddam esse earum virtutum quas Theologi appellant Virtutes animi purgati; quæque, vt

*1. 3. qu. 61.
art. 1.*

Angelicus Doctor beatus Thomas censuit, non nisi in Cælitibus reperiuntur, aut certè in paucis aliquot hominum perfectissimis dum viuunt.

Atque illud est quòd vulgò in eo admirati sumus,

*Perfectio
eius in
communi
vitâ.*

sumus, perfectionem nimirum quam in om-
 ni virtute atque opere qualicumque osten-
 debat: nam & diuinæ gratiæ auxilio & labore
 constantissimo res omnes ad summam per-
 fectionem adducebat; vt qui opus aliquod
 facientem obseruasset, ipsumq; opus, ac mo-
 dum, rationemq; quâ opus faciebat, atten-
 disse, dixisset necessariò, id opus fuisse nu-
 meris omnibus absolutum. Ac si ijdem, qui
 externos eius actus videbant, penetrare quo-
 que potuissent ad internas virtutum actiones,
 quas operibus suis omnibus, ad afflandam ijs
 quodammodò sanctiorem vitam, inden-
 damque merendi vim, admiscebat, persua-
 sum mihi habeo, summam opinionem de
 eximiâ eius virtute bonitateque fuisse com-
 prehensuros; vt ego non potui non accipere,
 cum ille mense quolibet bis ad me sponte ve-
 niret conscientiæ suæ rationē vt Superiori ac
 Patri redditurus; quam tantâ detegebat sim-
 plicitate, vt nec interiores animi sui cogitatio-
 nes, propensiones desideriaue reticeret. Ac se-
 mel quidem, cum ille ad me referret, quæ
 Dei secum, quæ sua cum Deo esset consuetu-
 do, commemini me insolitâ percussam admi-
 ratione (nullo tamen ei factò indicio) dixisse
 mecum: O felicē te, cuius tam gratus Deo est
 animus! O beatum Adolescentem, in quem
 Deus prærogatiuam contulit non illi absimi-
 lem,

*Perfectio in
 quolibet e-
 ius opere.*

D lem,